

illa spiritum servitutis & timoris, hæ verò Spiritum adoptionis complectuntur Rom. II. 16. Conf. vers. 2. Cap. III. ad Gal. Et notum est sæpissimè in Scripturà Substantivum loco Adjectivi usurpari, v. g. multitudo Gentium, pro multis Gentibus, beatitudo viri, pro beato viro, humilitas ancillæ, pro humili ancillâ, plenitudo temporis, pro pleno tempore &c. vide D. Glassium Philol. S. Lib. III. Tract. I. de Nom. Can. 8. ἐπαγγελία τῷ πνεύματι itaque hoc loco est promissus Spiritus S. sanctificans & regenerans nos, vide Act. II, 33. Act. I, 4. & sic exprimitur his verbis alter finis & fructus Redemptionis nostræ, uti dictum. Addit insuper Apostolus, quo medio seu organo benedictionem & reliqua Redemptionis beneficia, remissionem peccatorum, justitiam, adoptionem, sanctificationem, vitam æternam, ac ipsum Spiritum S. accipiamus, nempe Ἀπὸ τῆς πίστεως, *per fidem*, i. e. ut explicatur versu 2. hujus capituli ἐξ ἀκοῆς τῆς πίστεως, *per prædicationem fidei seu Evangelii, auditione perceptam*, conferatur versus sequens 29. Nam Spiritum S. per Verbum auditum, seu per vocem Evangelii, quod est *ministerium Spiritus* 2. Cor. III, 6. accipimus. Attamen propterea non rejicimus planè eorum sententiam, qui *per fidem* hic intelligunt primum salutare Spiritus S. donum, quo præditi omnia à Christo nobis parta beneficia recipimus, nobis applicamus, & nostra facimus. Cum & tunc *accipi Spiritus S.* in Scripturis dicatur, quando nova dona & præcedentium incrementa per fidem accipiuntur. Sic Christus Apostolus, qui primitias Spiritus S. donorum jam tum acceperant Matth. X. 1. seq. dicit; *Accipite Spiritum S. Dicendum*, inquit avunculus meus B. Gerhardus Harm. Evangel. Cap. CCXII. pag. 2173. a. *Quod Spiritum S. jam ante acceperint (Apostoli) ratione sanctificationis, hic accipiant cum ratione ministerii Evangelici, in Die Pentecostes accipiunt cum ratione miraculorum donorum.* Confer. Luc. XI, 13.

SECTIO II.

exhibens

Oraculi Apostolici

Ex di-